



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati  
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos  
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati  
restituta, & indicibus locupletata

De Sanctis

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXX**

Exegesin in Euangelium vt in conceptione B. Virginis Mariæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47060)

T. VI  
22

minus Iesus vnde abunde restituat nobis pro sui amore fugientibus temporarias vanitates, & suae obtemperantibus voluntati. Et si arduum est iter ad regna caelorum, tamen labor est breuis & merces infinita, quam nobis promisit qui non mentitur Deus, cui est laus & gloria in secula seculorum, Amen.

IN SOLENNITATE S. ANNAE MATRIS  
beatissimae Deiparae virginis Mariae. Paraphrasin in Epistolam require supra in festo D. Mariae Magdalena, Exegesis in Euangelium quare in ferijs Conceptionis eiusdem Virginis Mariae.

SERMO IN EADEM SOLENNITATE D. ANNAE  
*matris Deiparae virginis Mariae encomium, quod certis panegyricis laudes & praeconia eius cum generatim tum specialim complectitur.*

**D**ate ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in partibus operum eius. Proverb. XXXI. Charissimi in Christo fratres, hodie ferias ad laudem, & gloriam & honorem D. Annae matris Deiparae virginis Mariae, cum summo cordis nostri gaudio agentes, celebramus, festiuamque memoriam eius illius, qua carnis soluta ergastulo, nobilis illius anima, cum tripudio ad caelos Angelorum obsequijs subiecta est, quo magis erga eam vestra inflammatur deuotio, vitae illius pariter & mortis à me encomium praestolamini, rem utique dignissimam, atque mea quidem sententia, haud minus dignissimam. Quis enim vnquam tam sanctae, tamque praeclarae mulieris laudes verbis assequi poterit? Quamobrem id quod barbarus ille Hieronymus Latinae linguae disertissimus, Hebraicae quoque & Graecae non triualiter doctus, quibusdam sermonem de ea poscentibus, respondit: Ego etiam in praesentiarum iure vobis optime respondero. Nepe quod de qua agimus, res est praecelsa, res praecleara, res omni laude digna. Haec est enim arbor bona, de qua virga excisa per se, diuinitus floruit. Haec est terra sancta, quae rubi ardentem, sed incombustum permanentem germinauit. Haec est caelum excelsum, de quo stella maris ad ortum processit. Haec est sterilitas fecunda, quae ab angelis est frequentata. Haec est benedicta inter mulieres, & mater inter matres beata, ex qua templum Domini, sacrarium Spiritus sancti, mater Dei mundo illuxit. Haec est illa supernae benedictionis terra, de qua caelestis sigillus ollam spei nostrae composuit beatam virginem Mariam, quae ex diuini roris imbre conceptum Dei verbum, humano generi protulit incarnatum. Haec est ille diuinus ager, balsamorum caelestium floribus circumseptus, ex cuius suauitate per omnes fines terrae, diffusus odor vitae emanauit, & in eo sponsum virginum myrrham suam cum aromatibus suis miscuit. Gloriosissima utique est mater haec Anna, Christi auia, & omnium quae solenni attollatur praeconio dignissima. Quamuis proinde grauis admodum haec prouincia mihi videatur, quam subire cogitis, vnde

Hieron.

Esai. 17.  
Exod. 3.

Cant. 5.

tanta